

sium non sunt iudices episcoporum, nuntiorum et officialium apostolicorum. — Resp. I. Inquisitores omnes tam generalis, et supremus, quam inferiores et locales sunt veri iudices hæreticorum in suo districtu, provincia, aut diocesi; communis, et certa, arg. c. *Ut officium*, 11, h. t. in 6, ibi: « Ut officium inquisitionis contra hæreticos in provincia, in qua vobis idem officium est commissum, auctoritate Apostolica positus efficacius adimplere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ubique in præfata provincia simul, vel separatim, aut singulariter (prout negotii utilitas suadebit) contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, et defensores eorum, necnon contra infamatos de hæresi, vel suspectos, juxta sanctiones canonicas (hominum metu divino timori postposito) procedatis. »

446. Limitatur tamen conclusio in episcopis, et Sedis Apostolicæ nuntiis, aliisque officialibus, utpote contra quos etiam suspectos de crimine hæresis inquirere nequeunt, sed tenentur capta prius debita informatione illos denunciare Sedi Apostolicæ, prout expresse statuitur, c. *Inquisitores*, 16, h. t. in 6, et Extravag. *Matthæus*, 3, ac fin. h. t. inter communes.

447. *Episcopi in suis diocesisibus sunt inquisitores nati.* — Resp. II. Præter inquisitores a Sede Apostolica specialiter deputatos, quivis episcopus in sua diocesi censetur esse, ac revera est inquisitor natus, ita ut eandem cum dictis habeat potestatem in causa hæresis, ut bene observat cardinalis de Luca, *Relatio Curie Romanæ*, discours. 14, n. 4, et patet ex dictis.

448. *Inquisitores et episcopi possunt conjunctim, vel separatim in causa hæresis contra suspectos, vel denunciatos procedere, et quomodo?* — Resp. III. Inquisitores omnes tam deputati a Sede Apostolica, quam nati, id est, episcopi et capitulum Sede vacante, quivis in suo districtu possunt vel separatim, vel conjunctim contra hæreticos procedere; ita tamen, ut si separatim procedant, sententiam condemnatoriam ferre non possint inquisitores deputati, nisi prius processum communicent episcopo, vel Sede vacante capitulo: Nec episcopus, nisi suum processum communicet inquisitoribus, si in sua diocesi officium inquisitionis viget. Itaclare sancitum habetur tum cit. c. *Ut officium*, 11, h. t. Tum c. *Per hoc*, 17, eod. in 6, ibi: « Ut inquisitionis negotium effica-

cium, » melius utiliusque procedat, concedimus, quod per episcopos, et inquisitores de facto eodem inquire valeat communiter, vel divisim: « et si divisim processerint, teneantur sibi invicem communicare processus, ut per hoc possit melius veritas inveniri: et nisi hoc casu inquisitores in sententiæ prolatione diocesanis, vel e contra duxerint deferendum. »

Pariter disponitur, et res ulterius declaratur Clem. 1, § *Propter*, h. t. illis verbis: « Sic quod quilibet (tam episcopus nempe, quam inquisitor) de prædictis sine alio citare possit, et arrestare, sive capere, ac tute custodiæ mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel mancis ferreis, si ei visum fuerit faciendum: super quo ipsius conscientiam oneramus, necnon inquirere contra illos, de quibus pro hujusmodi negotio secundum Deum, et justitiam viderit expedire. Duro tamen tradere carceri, sive arcto, qui magis ad pœnam, quam custodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad sententiam procedere contra eos episcopus sine inquisitore, aut inquisitor sine episcopo diocetano, aut ejus officiali, aut episcopali Sede vacante, capituli super hoc delegato, et sui ad invicem copiam habere valeant intra octo dierum spatium, postquam se invicem requisierint, non valet. »

449. *In locis, ubi non viget officium inquisitionis, episcopi soli gaudent omni facultate inquisitoribus alias competente.* — Dicitur autem notanter in conclusione n. 448. *Si in sua diocesi officium inquisitionis viget*: Nam ubi hoc non viget, uti in Germania, Gallia, Polonia, possunt episcopi totum processum inchoare, et per sententiam etiam condemnatoriam soli finire, absque hoc, quod processum suum transmittant ad alienam diocesis, vel provinciam, ubi officium inquisitionis, et inquisitores existunt; eo quod in præfatis locis, ubi inquisitio non viget, munus inquisitorum obeant, et eandem, quam illi in hæreticos, potestatem habeant, ac privative exercent episcopi, uti post Azorium, p. 1, lib. VIII, cap. xviii, q. 2, bene observat Pirhing, h. t. n. 130, receptusque probat usus, ac consuetudo.

450. *Episcopi processum instituendo contra hæreticos debent eundem modum observare, quem inquisitores, et quis sit hic modus?* — Porro quocumque episcopi sive in loco, ubi viget officium inquisitionis, sive in alio processum contra aliquem in causa hæresis

instituunt, possunt et debent eundem modum observare, quem observare in hac causa tenentur inquisitores a Sede Apostolica deputati, c. *Per hoc*, 17, § fin. h. t. ubi universaliter ita disponitur: « Sive autem ordinaria, sive delegata episcopi potestate procedant, illum in procedendo modum observent, quem inquisitores possunt, et debent per jura communia, vel per speciales constitutiones, seu ordinationes Sedis Apostolicæ observare. » Qualem autem modum et ordinem in formando processu contra hæreticos servare debeant inquisitores, vide apud Farinacium, *de Hæresi*, a q. 185; Castro Palao, *de Fide*, tract. IV, disp. 8, pun. 13; Pirhing, h. t. a § 6, et alios, vide etiam processum nostrum criminalium tit. I, traditum.

451. *Principes, potestates et iudices sæculares nullo modo possunt se immiscere in processum a iudice ecclesiastico contra hæreticos instituendum, vel institutum: sed debent immediate exequi sententiam iudicis ecclesiastici.* — Quæritur III. Qualiter principes, aliæ potestates, et iudices sæculares habere se debeant, ac possint in causa hæresis, præsertim in casu, quo ab inquisitoribus, vel episcopo intenditur, vel formatur processus? Resp. I. Principes, et potestates sæculares quicumque de crimine hæresis non solum nullo modo cognoscere, nulloque modo resistere possunt, sed potius si invocantur, assistere tenentur tam episcopis, quam inquisitoribus, si qui eorum contra hæreticos procedere, eos inquirere, vel processare volunt: Tenentur insuper pœnam ab ordinario, vel inquisitore impositam hæretico, illico exequi: vel si hæretici eisdem puniendi traduntur, ordinaria juris pœna, etiam mortis afficere. Patet conclusio ex c. *Ut inquisitionis*, 18, h. t. in 6, quod totum hic inserere placuit, et sic sonat:

« Ut inquisitionis negotium contra hæreticam pravitatem, ac Dei gloriam, et augmentum fidei nostris temporibus prospere, leges quasdam per Fridericum olim Romanorum imperatorem, tunc in devotione Romanæ persistentem Ecclesiæ suæ sanctæ honorem promovent, et hæreticorum exterminium prosequuntur, et statutis canonicis non obsistunt approbantes, et observari volentes: universos sæculi potestates, et dominos temporales, ac provinciarum, terrarum,

civitatum, aliorumque locorum rectores, quibuscunque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus censeantur, requirimus, et monemus, ut sicut reputari cupiunt, et haberi fideles, ita pro defensione fidei diocesanis episcopis, et inquisitoribus hæreticæ pravitate a Sede Apostolica deputatis; aut in posterum deputandis pareant, et intendant in hæreticorum, credentium, fautorum, receptorum, et defensorum ipsorum investigatione, captione, ac custodia diligenti, cum ab eis fuerint requisiti: et ut præfatas personas pestiferas in potestatem, seu carcerem episcoporum, aut inquisitorum dictorum, vel ad locum, de quo ipsi, vel aliqui ex eis mandaverint, infra eorundem dominorum potestatem, vel rectorum districtum dueant, vel duci faciant sine mora: ubi per viros catholicos a præfatis episcopis, seu inquisitoribus, vel eorum aliquo deputatos, sub arcta, et diligenti custodia teneatur, donec eorum negotium per Ecclesiæ iudicium terminetur.

» Utque de hæresi a diocesano episcopo, vel inquisitore, seu inquisitoribus condemnatos, præfati potestates, domini temporales, rectores, vel eorum officiales, seu nuntii sibi relictos statim recipiant indilate animadversione debita puniendos: Non obstantibus appellationibus, seu proclamationibus prædictorum nequitæ filiorum: cum tam secundum legem imperialem, appellationis, et proclamationis beneficium expresse sit hæreticis, credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus, et defensoribus interdictum.

» Prohibemus quoque districtius potestatibus, dominis temporalibus, et rectoribus eorundemque officialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine (cum mere sit ecclesiasticum) quoque modo cognoscant, vel iudicent: sive captos pro eodem crimine absque dictorum episcoporum, sive inquisitorum, aut saltem alterius eorundem licentia, vel mandato a carcere liberent: aut executionem sibi pro hujusmodi crimine a diocesano, vel inquisitoribus, seu inquisitore injunctam prompte (prout ad suum spectat officium) facere, seu adimplere detrectent: vel alias diocesanorum, aut inquisitorum iudicium, sententiam, seu processum directe, vel indirecte impedire præsumant.

» Si quis vero de prædictis potestatibus, dominis temporalibus, rectoribus, vel eorum officialibus, seu ballivis contra prædicta fe-

cerit, aut præfato fidei negotio sæpe satis diocesano episcopo, inquisitoribus incumbenti se opponere forte præsumperit, vel ipsum aliquatenus impedire, necnon et qui scienter in prædictis dederit auxilium, consilium, favorem, excommunicationis se noverit mucrone percussus : quam si per annum animo sustinuerit pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur. »

452. Resp. II. Principes, potestates, aut iudices sæculares non differre, aut recusare possunt executionem sententiæ ab inquisitore, aut ordinario in causa hæresis latam, nec omittere, differre, vel negligere inferre poenam jure debitam reo hæretico illis tradito, sub prætextu, quod debeant prius debere processum a iudice ecclesiastico factum, an sit rite formatus, vel an sententia sit justa vel non. Nec ulla ratione possunt prætendere, videre, ac lustrare processum, sed si petunt, potest et debet illum iudex ecclesiasticus negare. Farinacius, de Hæresi, q. 186, a n. 165; Castro Palao, de Fide, tr. IV, disp. 8, pun. 14, n. 5, cum communissima, et hodie certa aliorum, quos copiose ibidem allegat Farinacius dicens cum aliis, sententiam contrariam, communi peritorum consensu, et usu explosam esse, atque rejectam, arg. cit. c. *Ut inquisitionis*, 18, h. t. in 6, ubi § *Utque de hæresi* expresse excipit Papa, ut domini temporales sibi relictos (hæreticos) statim accipiant, indilate animadversione debita puniendos, et § *Prohibemus*, ne executionem sibi pro hujusmodi crimine a diocesano, vel inquisitore injunctam, prompte facere, seu adimplere detrectent. Accedit, et conclusionem certam reddit constitutio Innocentii VIII, *Dilectus*, estque decima inter constitutiones dicti Pontificis in Bullario Cherub. ubi Papa præcipit, ut iudices sæculares sine ulla visione processus ab inquisitore facti exequantur sententiam, et quidem sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ: uti patet ex tenore Bullæ sic sonantis :

« Dilectus filius frater Antonius de Brixia ordinis Prædicatorum in partibus Lombardiæ inquisitor hæreticæ pravitatis, una cum venerabili fratre episcopo Brixienti, seu ejus vicario generali sicuti nobis nuper fecit exponi contra nonnullos utriusque sexus hæreticos, ut accepimus, quos culpabiles, ut hæreticos impenitentes reprobos, poena

debita juris puniendos condemnavit ac officiales civitatis Brixiensis, ut injunctam executionem adimplerent, requisivit, qui officiales justitiam ministrare, et dictas sententias exequi (nisi prius processus per episcopum, et inquisitorem agitados non viderent) in non parum orthodoxæ fidei scandalum, recusarunt.

» At cum hujusmodi crimen hæresis sit mere ecclesiasticum et delicta nullo pacto impunita remanere debeant, tenore præsentium vobis committimus ac mandamus, ut si est ita, eisdem officialibus sæcularibus civitatis Brixiensis sub excommunicationis poena, et aliis censuris ecclesiasticis, præcipiatis atque mandetis, ut infra sex dies, postquam legitime fuerint requisiti, sine aliqua dictorum processuum, per vos agitatorum visione, sententias per vos latas contra hujusmodi hæreticos prompte exequantur appellatione remota. Quam excommunicationis poenam ipso facto volumus, et tenore præsentium declaramus, incurrisse, si, quod mandatum fuerit, infra dictum sex dierum spatium, cessante legitimo impedimento, cum effectu non impleverint.

» Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, statutis civitatis Brixiensis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

» Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die trigesimo septembris, millesimo quadringentesimo octogesimo sexto, Pontificatus nostri anno tertio.»

453. *Probatur jure ac ratione.* — Ratio est, quia cum juxta n. 431, et c. *Ut inquisitionis*; de crimine hæresis nullo modo cognoscere, et judicare valeant, frustra processum super illo factum prætendunt.

454. *Dicitur statim vel indilate exequi, si intra sex dies exequitur.* — Cæterum ad hoc ut indilate dicatur iudex sæcularis exequi, requiritur et sufficit, ut intra sex dies exequatur, prout patet ex dicta Bulla, et tenent communiter doctores, ut videre est apud Farinacium, de Hæresi, q. 186, n. 162.

455. *Possunt iudices sæculares capere, et ad custodiam ponere hæreticos ad hoc, ut eos tradant iudici ecclesiastico.* — Resp. III. Quamvis potestates sæculares de crimine hæresis nullo modo cognoscere aut judicare, nec in processu contra hæreticos ullatenus se immiscere valeant per dicta : possunt tamen etiam non requisiti suspectos de hæresi ca-

pere, et detinere ad hoc, ut illos competenti iudici ecclesiastico tradant. Farinacius, l. cit. n. 158; Clarus, de Hæresi, n. 4, et alii. Ratio est, quia tali modo in judicaturam non se intromittunt, nec iudicem ullo modo impediunt, sed potius debite jvant in ordine ad coercendos, puniendos, et extirpandos hæreticos.

456. *Possunt etiam statuta facere, quibus promovetur processus ab ecclesiastico instituentibus, non item quibus impediretur.* — Ex eadem ratione possunt etiam facere statuta, et leges, quibus processus contra hæresin promovetur, iudicibus ecclesiasticis assistitur, et poenæ contra hæreticos a SS. canonibus inflictæ exasperantur; licet non possint condere statuta, quibus negotium Inquisitionis contra hæreticos directe impediatur, aut retardetur c. *Statutum*, 9, h. t. in 6. Farinacius loc. cit. num. 157.

457. *In Germania non expedit, quod iudex ecclesiasticus hæreticos temporaliter vel corporaliter puniat, aut ita puniendos tradat iudici sæculari.* — Denique notandum, quod, cum juxta dicta a num. 340, poenæ temporales et corporales a jure contra hæreticos Augustanæ Confessionis (et forsitan etiam alios) in Germania per pacem publicam videantur sublata, frustra iudex ecclesiasticus traderet hæreticum iudici sæculari. Hinc vel ipse hæreticum judicialiter confessum, aut convictum debita poena etiam temporali et corporali, v. g. perpetui carceris (non item mortis) afficere, vel quod consultius est, a poenis corporalibus, et temporalibus omnino abstrahere debet juxta dicta num. 345.

Et hæc amore religionis et Ecclesiæ in odium vitii omnium perniciosissimi hæresis dicta sufficiant. Qui plura desiderat, legat Farinacium de hæresi, et alios de eadem integros tractatus scribentes.

TITULUS VIII.

De schismaticis, et ordinatis ab eis.

1. *Ratio continuationis.* — Hæresi, et hæreticis proxime accedunt, imo ordinarie cum ipsis coincidunt schisma, et schismatici, necnon apostasia, et apostatæ; hinc post præcedentem titulum de hæreticis, in presenti

de schismaticis, et in statim sequenti de apostatis recto ordine agitur. Itaque.

2. *Schisma et schismatici, quid?* — Quæritur I. Quid sit schisma? Quid schismatici? et quomodo differant ab hæresi, et hæreticis? Resp. I. Quamvis schisma generice, et large loquendo sit quævis scissura, et divisio, seu disruptio communionis, arg. can. *Schisma*, c. 24, q. 1, ibi : Schisma quod græcum nomen est, scissuram significat; proprie tamen et ad propositum loquendo : Schisma est scissura, seu disjunctio, ac divisio, qua quis se separat ab unitate universalis Ecclesiæ, in quantum hæc est corpus quoddam mysticum ex diversorum statuum fidelibus tanquam membris inter se, ac Romano Pontifice tanquam visibili capite illius constant. Ita in re communis.

3. *Schisma est aliud purum, et proprie tale.* — Schisma sic definitum dividitur in purum, et non purum, et conjunctum cum hæresi. Purum fit, et est, quando quis omnes fidei articulos, ac etiam supremam Pontificis potestatem, et primatum in Ecclesia credens, ex mera malitia Pontifici qua tali, seu qua capiti Ecclesiæ et Christi in terris vicario subesse et obedire, vel cæteris universalis Ecclesiæ membris uniri, vel unitus et conjunctus esse detrectat; ut si aliquod regnum, aut provincia, quod obedientiam Papæ tanquam capiti Ecclesiæ negans, constitueret sibi proprium episcopum, aut patriarcham assumeret, eique in spiritualibus obediret, spreto, vel neglecto, et non attentis Papæ mandatis; quamvis de cætero Papatum, et articulos crederet. Et hujusmodi regni et provinciæ rex, princeps, et incolæ puri, et proprie dicti essent Schismatici.

4. *Aliud non purum, sed conjunctum cum hæresi.* — Schisma non purum, sed conjunctum cum hæresi est; quando præter separationem ab unitate Ecclesiæ negatur una, vel plures propositiones fidei, v. g. si negatur, vel non creditur Pontificem esse in terris vicarium Christi, et caput Ecclesiæ, etc. Et quidem ordinarie et practice loquendo, vix unquam datur amplius schisma purum, sed quodvis conjunctum est cum hæresi, ut bene notatur can. *Hæres. caus.* 24, q. 3, ibi : Quod quidem in principio aliquo ex parte intelligi potest : Cæterum nullum schisma non aliquam sibi confingit hæresin, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.

5. *Quinam censendi sint schismatici? et qui*